



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

137. An etiam dicta consuetudo procedat in Canonico pœnitentiaro, nimirum ut is insuper in eadem Ecclesia obtineat dignitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

consuetudo, absque alia dispensatione simul haberi possit, n. 246. ait decisum à S. Congregatione in Valentina. 1593. his verbis: consuetudini permittenti, quod in eadem Ecclesia dignitates cum prebendis Canonicalibus teneantur, non est derogatum per Concilium Trid. sess. 24. c. 17. Item n. 245. citat aliam ejusdem Congregat. declarationem, quæ sic habet: posse aliquem in una Ecclesia ex privilegio vel consuetudine fungi duplici officio, ut sit *Thesaurarius & Canonicus*, & propterea duplices lucrari distributiones; quia obrinet eas diverso jure, cum inter dignitates suppleat numerum dignitatum, & inter Canonicos suppleat numerum Canonicorum, nec eger substituto &c. Item aliam similem fusiohem & claram decisionem ejusdem Congregationis recitat n. 247.

Questio 137. An igitur etiam dicta consuetudo procedat in Canonico penitentiario, nimirum utis insuper in eadem Ecclesia obtineat dignitatem?

Respondeo: etsi id quandoque fiat ex speciali gratia & dispensatione Apostolica. Garc. n. 252. non tamen obtinet in hoc, seu procedit dicta consuetudo, Garc. n. 249. recitans pro hoc expressam S. Congregat. declarationem, & rationem addit n. 250. quod nimirum penitentiarius habet officium penitentiarii, & insuper Canoniatum tali officio annexum; ut colligitur clarè ex Trid. sess. 24. c. 14. & prebenda per illam annexionem extincta non est, ut male dicit Navar. conf. 4. de rebus Eccles. de quo vide eundem Garc. p. 5. c. 1. n. 756. Nec obstat, quod officium penitentiarii de per se non habeat fructus, & beneficium sine fructibus seu de vento non inducat incompatibilitatem; quia sufficit quod habeat fructus ratione adjuncti seu connexi canonicatus. Garc. n. 251.

2. Hujus tamen contrarium est, seu procedit dicta consuetudo in Canonico lecturæ, & in Canoniatu Doctorali aut Magistrali; cum in iis solum consideratur Canonatus & prebenda cum tali onere, & non tale officium, cui annexus sit Canonatus, & sic isti Canonici juxta dictam consuetudinem poterunt simul obtinere dignitatem ejusdem Ecclesie, & ita practicatur. Garc. n. 253. citans seipsum p. 1. q. 762.

Questio 138. An igitur, sicut valet consuetudo tenendi Canoniatum cum dignitate, & ei derogatum non est per Trid. ita etiam valeat consuetudo tenendi duo alia beneficia difformia v. g. beneficium curatum vel simplex cum Capellania in eadem Ecclesia, dum aliunde nihil obstat, ex quo specialiter sint incompatibilia?

Respondeo: AA. plerisque ita videri sentire, dum loquuntur universaliter, difformia sub eodem tecto posse haberi simul; quamvis pro exemplo ordinariè adducere soleant dignitatem v. g. Præposituram vel Decanatum cum Canoniatu. Et sic tradit Azor. cit. q. 2. quin & expressè ait loc. cit. c. 12. q. 6. posse Episcopum ex iustis causis conferre alicui in eadem Ecclesia dignitatem, vel personarum, vel officium, vel beneficium curatum, & simul unum prædicationum vel Capellaniam, vel Canoniarum, vel portionem, modò unum non sufficiat ad clericum sustentandum; quod si autem hoc fieri possit ex concessione Episcopi,

multò magis ex vi receptæ consuetudinis. Garc. nihilominus n. 256. ait contrarium censuisse S. Congregationem in declaratione illa Abulenli, quam recitat p. 5. c. 8. n. 87. & posse esse rationem differentie; quod prebenda & dignitas in eadem Ecclesia habeantur quasi loco unius, & in his videatur inducta ista consuetudo ex speciali illa ratione supra memoratâ, nimirum ut obtinentes dignitatem decentius sustententur.

Questio 139. An igitur etiam procedat & sustinenda sit consuetudo habendi præter dignitatem & Canoniatum seu prebendam aliud simplex beneficium, ita ut jam quis sit triplex in eadem Ecclesia?

Respondeo negativè. Castrop. loc. cit. n. 7. Garc. n. 138. citans c. 1. de consuetud. in 6. & ibi Domin. in 5. & 12. Franc. n. 6. Put. decis. 446. l. 2. n. 3. Ferret. conf. 355. n. 4. & c. & declaratio S. Congregationis de 8. Januar. 1587. ubi: quod Canonicus, cui injunctum est onus, seu officium penitentiarii, non possit obtinere insuper dignitatem in eadem Ecclesia; quia nemo potest esse triplex in eadem Ecclesia, contra Borræum de Synodo. p. 3. a. 1. n. 88. Item contra Navar. conf. 22. de preb. & qui eum sequitur Zerol. in pr. p. 2. v. conformitas. apud Garc. n. 240. docentes, posse aliquem tenere duas Capellas cum dignitate in eadem Ecclesia ex consuetudine; dum dignitas non est sufficiens ad sustentationem. Neque in hoc poterit dispensare legatus, nisi habeat speciale mandatum seu facultatem ad hoc; quam non solent habere maximè Nuncii. Garc. n. 242.

Questio 140. An igitur si habenti jam duo istiusmodi difformia, vel etiam uniformia, vel aliter de jure communi incompatibilia, sive de consuetudine, sive ex dispensatione, conferatur tertium, collatio sit ipso jure nulla?

Respondeo affirmativè. Pirh. de preb. n. 190. citans Franc. in c. Ordinarii. de off. Ordinari. Jud. in 6. in principio. §. in conferendis; ubi is: quod habens plura incompatibilia etiam ex dispensatione, censetur inhabilis ad aliud beneficium simile obtinendum. Fagn. in c. cum jam dudum. de preb. n. 64. ac dicens id colligi ex Trid. sess. 24. c. 17. ubi dum tribuit facultatem Ordinariis ad summum duo beneficia uni conferenda, consequenter prohibet collationem tertii, & tacitè irritat. Neque ait obstat, quod Concilium ibi similiter prohibeat collationem secundi, dum primum est sufficiens, & tamen collatio secundi non est irrita, ut declarat S. Congregat. eò quod ideo obtinenti unum possit conferri secundum; quia unum obtinere non est contra jus commune, ideòque illud obtinens non censetur inhabilis ad aliud, etiam incompatible, consequendum; quare Concilium solum ibi prohibet collationem secundi, ita ut utrumque simul retineri non possit: at verò duo simul obtineri sit contra jus commune, ideòque plura obtinens non sit habilis ad aliud obtinendum sine dispensatione Papæ. Ita fere Pirh. citans eund. Fagn. ubi supra n. 69. & 70.